

ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, cum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum: «Nec hercule, inquit, si ego Seriphus essem, nobilis; nec tu, si Atheniensis esses, clarus umquam fuisses.» Quod eodem modo de senectute potest dici. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem; nec insipienti etiam in summa copia non gravis. Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, [arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum; quae in omni aetate cultae, cum multum diuque vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum, quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis, (quamquam id maximum est); verum etiam quia conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio, jucundissima est.

IV. Ego Q. Maximum, eum, qui Tarentum recepit, adolescens ita dilexi senem, ut aequalem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas: nec senectus mores mutaverat. Quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen jam aetate provectum. Anno enim post, consul primum fuerat, quam ego natus sum: cumque eo quartum consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum quaestor: deinde aedilis, quadriennio post factus sum praetor: quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego, cum quidem ille admodum senex, suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat, ut adolescens, cum plane grandis esset, et Hannibalem juveniliter exultantem, patientia sua mollebat: de quo praeclare familiaris noster Ennius:

Unus, qui nobis cunctando restituit rem:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit? Cum quidem, me audiente, Salinatori, qui, amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti: «Mea opera, Q. Fabi,